*Illuſtriſſimo Heroi, fortiſſimoq; Chriſtiani Nominis Propugnatori,* Jacobo Fitz-James, Duci Berwicio, *&c. Gemina Religionis, & Fortitudinis Laude Florenti, & æternam ex Hungarica expeditione gloriam reportanti, felicem in Patriam reditum, & novam meriti honoris acceſſionem ex animo gratulatur Deditiſſimus Cliens* IGNATIUS BERFORD, *Hibernus.*

MAgnanimi Regis Proles manifeſta, Britannæ
Gentis honor, Chriſti Miles, Amorq; Poli,
Tandem ergo palmis, tu Victor, ab hoſte relatis,
Nos reditu recreas, exhilaraſq; tuo.
Quonam grata tuas celebrabit carmine laudes
Patria, quæ factis, eſt celebrata tuis?
Cuncta licet cuncti ſolvant ſimul ora Britanni;
Te tamen ut laudent, non ſati oris habent.
Mira tuæ attoniti memorant dum facta juventæ
Germani; hæc *Cæſar*, non ego miror, ait;
Facta ego mirarer, quæ præſtat *Junior Heros*
Martia, ni *Martis* filius ille foret.

*Ad Eundem novis honorum Titulis decoratum.*

Dum vario varios *Rex* ornat honore; *Baronem*
Te creat, & *Comitem*, te creat ille *Ducem*.
Nec Patris hoc pietas, nec Munificentia Regis,
Juſtitiæ ſolus ſed tibi præſtat Amor:
Debita virtuti nam ſolvere præmia, juſtum eſt:
Hinc juſtum, his Titulis te decorare, fuit,
Quos meritis tribuiſſe tuis, laus maxima Regi eſt;
Sed meruiſſe priùs, laus tibi major erat.

*Ad Regem,*

Parce, precor, Muſæ, Regum optime, vera canenti;
Si *Ducis* hic laudem præferat illa tuæ.
Nam tua Victorem, tantummodò dextra coronat,
Sed Lauros propriâ meſſuit ille manu.

*In*

*In obtrectatorem.*

Ergone, Livor edax, Juveniles deſpicis Annos ?
Herois laudes, extenuaſque mei ?
Quæque illi Rex dat, virtutis præmia carpis :
Apta nec ætati, juſta nec eſſe putas.
Cur onerat Juvenem titulis præcocibus ? inquis.
Vix matura viro præmia tanta forent.
Ne ſperne Heroem: nam quamvis junior ille
Sit tibi ; Turca tamen ſenſerat eſſe Virum.

*In eundem.*

Cur Juvenem ſpernis, Juvenem qui vicit *Achillem* ?
Ut quivis; vel me, ſcire, tacente, poteſt.
Virgineum Juvenis ſexum mentitur Achilles
Inter virgineos, dum fugit arma, choros.
Noſter at armatos quærit *Dux* Junior hoſtes ;
Sternit et obſtantes, quà ruit ille, globos.
I nunc, & Juvenem Livor jàm deſpice : ſaltem
Hactenus eſt Heros major *Achille* meus.
Imò & qui Juvenem Juvenis ſuperavit *Achillem*,
Olim Vir factus, vincet & ille virum.

*Ad Lectorem.*

Nullus miretur, præferre quòd auſit *Achilli*
( Ut debet ) noſtrum noſtra Camæna *Ducem*.
Laudis *Achillææ* ficta eſt pars maxima : noſtri
Laudibus inſeritur fabula nulla *Ducis*.
Facta igitur fictis qui præfert, hunquid *Achilli*
*Heroem* debet præpoluiſſe meum ?

*Ad Ipſum Ducem.*

Qui te cunque *Ducem* mirabitur eſſe creatum,
Rege tyrocinium nobilitante tuum,
Et vota, ætatis quæ ſunt ſupremà virilis,
Eſſe Juventutis præmia prima tuæ.
Protinus, haud dubiè, mirari deſinet iſta ;
Si vires animi noverit ille tui.
*Namque animis* Dux, *non annis cognoſcitur* ; & ſe
Intrepidâ fortem, mente, manuque probat.

Junior

Junior hinc quamvis ſis, *Dux* fortiſſime; *Cæſar*
Ipſe tamen ſimiles vellet habere viros.
Ergo ſi magnos mens magna meretur honores;
Te meritò factum quis neget eſſe *Ducem?*

*Ad Eundem.*

Virtuti Germana tuæ dat Terra Theatrum,
Præmia dat meritis Terra *Britanna* tuis.
Victori Laudes dat Terra *Hibernica*; claudi
Uno non potuit Gloria tanta loco.

*Ad Eundem Chriſtiana Caſtra repetentem.*

Quid video? ad ſacrum properas diſcedere Bellum,
Quò Virtus, quò te Gloria vera vocat.
I modò, perge novis cumulare Trophæa Trophæis:
Et palmis palmas addere perge novas.
Qui decus ad Solidum tendit; ſed quà ſit eundum,
Neſcit, & expertum quærit ubique *Ducem.*
Dirigat incertos tua per veſtigia greſſus:
Nam *Duce* te, certam repperit ille viam.

*Ad Eundem glorioſos Belli Chriſtiani labores & pericula domeſticæ Pacis quieti, & voluptatibus generoſe præferentem.*

Dum ſedet Alcides juvenis, ſecum ipſe revolvens,
Inſtituat vitam quâ ratione ſuam;
Protinus accedunt hinc Virtus, inde Voluptas,
Promiſſis illum ſollicitantque ſuis.
Delicias offert, & gaudia mille voluptas,
Gaudia mille uno ſed peritura die.
Proponit graviora ipſi diſcrimina virtus,
Sed quæ perpetuum ſint paritura decus.
Ille voluptatis fallacia gaudia ſpernit,
Virtutemq; ſequens, quò jubet, ire parat.
Sic tibi nunc offert juveni Pax gaudia ſecum
Multa domi, Bellum multa pericla foris.
Bellica ſed præfers, quæriſque pericla: Quis ergo
Te non Alcidem dixerit eſſe novum?

Imprimatur,
*May.* 13. 1687.
*Ro. L'Eſtrange.*

FINIS.

# FINIS.